# Landesbibliothek Oldenburg

**Digitalisierung von Drucken**


## M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum, Quinctum fratrem

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

Titelblatt


urn:nbn:de:gbv:45:1-770415

Visual Library

M · TVLLII

# CICERONIS

## OPERVM

## TOMVS · SEPTIMVS

Continens

*Epiſtolas, ad* { *T. Pomponium Atticum,* *M. Iunium Brutum,* *Quinctum fratrem:*

&

## In eas Paulli Manutij Commentarium.

AD . ILLVSTREM . VIRVM

MATTHAEVM · SENAREGAM

CVM . PRIVILEGIIS

VENETIIS. CIↃ IↃ XXCIII

Apud Aldum.

Landesbibliothek Oldenburg

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI.

Landesbibliothek Oldenburg

# ILLVSTRI · VIRO
# MATTHAEO · SENAREGAE

VIx credas, ornatiſsime Senarega, quam ſaepe occurrit animus meus ad initia noſtrae ueteris neceſsitudinis; quanta etiam cum uoluptate contemplor diuinum ingenium tuum; quantum praeterea me recreat, meminiſſe, quae a Paullo patre meo ſaepius de te audiui; cum te, iuuenem ad gloriam, ad honores, ad Patriae utilitatem, & perpetuum decus natum, tam prudenter optimus uir, tui amantiſsimus, dicere ſoleret. Equidem, dum ego quoque tuas uirtutes intueor, dum res a te praeclare geſtas pro Patria conſidero, dum tot legationes in maximis, grauiſsimisq. negotijs omnium conſenſu tibi demandatas perpendo; laetor ſummopere iudicio Patris mei, tibi uero, & Ampliſsimae Genuenſi Reip. mirum in modum gratulor: tibi praecipue, qui ea praeſtitiſti pro communi Patriae ſalute, quae praeſtare nemo certe potuiſſet. ut facile Nobiliſsima Genuenſis Ciuitas poſt Deum opt. max. tibi acceptum referat, quod nunc ſua ampliſsima fulgeat dignitate, quod hodie tutiſsima, ac tam dulci fruatur libertate. Licet quamplurimi fuerint, ut ingenue fatear, quod negare non poſſum, qui te in primis auctorem fuiſſe ciuilis perturbationis uoluerint: tantam dicebant fuiſſe eloquentiae tuae, tantam ingenij tui ſubtilitatem,